

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 31. (*Neovidensis* 1808. Nro. 30.)

Oratio in Parasceve.

Ellysium-Meum.-Die Veneris 29. April. 1808. (Neov. 12. Apr. 1808.)

Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. — Joannis VII. 16. & 17.

Ex septingentis septuaginta quinque circiter supra mille annis dies Parasceves lugubris memoria sunt mortis divini Redemptoris nostri. — Pii Christiani hoc tempus impendunt meditationibus de passione cœlestis præceptoris, oculosque in patientis Christi imaginem defigunt, excipiunt auribus mœstas Levitarum, & Presbyterorum Melodias, parietes templorum pullo vestiuntur, in signum luctus, panno, Campanæ silent, sacrum quoddam silentium quemlibet ad solitudinem spiritusque collectionem invitare videtur, & profunda vox ab altari auditur: *Ecce quomodo moritur justus!* —

O Christiani! moritur justus, qui nobis spem futuræ, post mortem, vitæ aperuit. Oh! nostra vita nequaquam incerta, caduca, laboris & ærumnarum plena hac vita continetur, est hæc momentum tantum æternitatis, diuturnitatis vitæ votum omnium Cordibus insitum

est, an nulli alii fini homo destinatus esset, quam aliquot ad dies in hac lachrimarum valle exigendos? — homo, qui omnibus, quæ eum ambiunt, præstat; qui uno mentis ictu præterita, præsentia, & quodammodo & futura complectitur — qui supra spatium & tempus sese effert, qui que spe alitur, infinitum penetrandi? Neutiquam, hoc desiderium, quod in hac vita exsatiari nequit, cujus necessitas continuo excitatur, cujus bonum perpetuo reviviscit, quodque in fortunatissimo etiam vitæ hujus statu frustra quærit, hoc inquam desiderium in anima non sine ratione est. In ipsa voluptatum plenitudine, in ipsa honoris sensus sinistra opinione, in opum abundantia homo patitur, continuo nova in animo ejus necessitas oriri videtur, quæ ei indicat, quasvis has prærogativas haud veram beatitudinem efficere; quod si nihil melius sperandum haberet, cur auctor naturæ inexplebile hoc desiderium animæ ejus indidisset? ergone per hanc inexsatiabilem cupiditatem reddatur infelicior? & si hoc non, Cur continuo se movens in melius & durabilius nisus? — Profecto horrenda imperfectio, quæ — omnipotentissimo, sapientissimo auctori, qui hominem tamquam Creaturarum paradigma, quod mundus exhibet, creavit — maximo pro beneficio, maxima cum ingratitude tritueretur! profecto nimis quam verum est, vitam hanc, mundum hunc, hospitium solvæ esse, peregrinam regionem, transitum hominis ad vitam meliorem. Unde

quæso, oritur in homine æstimatio & amor virtutis, etiam tunc, cum eam non exercet? Unde contemptus & pudor vitiorum, etiam cum eorum conscius non est, unde morsus Conscientiæ, quæ occulte omnem malam actionem abominatur?

Nequaquam! iterum dico Christiani! omnipotentis dextra, quæ hominem ex nihilo eduxit, inexstinguibilem hunc sensum, ejus animæ indidit, hæc Conscientiam tanquam vigilem constituit, coram quo rationes reddere debet, quare alias foret hæc animi adfectio, si nihil ei sperandum, nihil metuendum superesset? si morte omnia finirentur? quanta inconvenientia auctori tribueretur, si quid ab eo insitum adtrueretur, quod fructus ferre non deberet? quanta principiorum Collisio? quanta, quamque enormis Contradictio? — Bonum & malum, utile & noxium, virtus & vitium, eadem continerentur ratione, aut potius vitium triumpharet, virtus succumberet, entia rationalia, quasi Casu fortuito terræ imposita, projecta, atque dispersa; probi malevolentium crudelitati paterent, imbecilli absque protectione adversus Tyrannos & fortiores, deserti & derelicti — egeni absque ope, infortunati absque solatio, liberalitas absque recognitione, beneficentia absque imitatione, quisve singularis homo odioso & proprii emolumenti studio pleno amore sui accensus, & actus — convulsio amoris proximi, & vitæ socialis; moralis vita sine nexu, & concordia, divina providentia sine misericordia, pro

patientibus injurias, absque præmio pro his, qui in eam fidem collocant, leges ad solam physicam vim restrictæ, absque metu ob occultam violationem, absque onere responsionis pro occultis delictis, dignitas hominis dejecta, atque potentiori attributa. O bone Deus! quem in finem quæso hominem condidisses! —

Seculum octavum decimum! superbum lucis & tenebrarum temporis spatium; quod nomen philosophici ævi jactas, te ego ex ætèrnitate evoco, consiste hodie ad Crucem Magistri, doctoris nostri, qui sapientes temporis tui redemptionis participes reddere voluerat, quam vero illi rejecerunt, aspernabantur, consiste quæso, in Ecclesia Christianorum, & exhibe res gestas Sapientium tuorum, moresque gentium pervertentem doctrinam; scilicet prætenderunt superstitionem eliminandi Consilium sibi fore, & doctrinam religionis evertere; spurium heroicum animum detracturos, & honorem ludibrio exposuere; præjudicatas opiniones exterminaturos, & sanctissima principia profligavere, pseudo sanctitatem lucul exposituros, & virtutem lacesivere. — temerariæ! O vesanæ mentes! videte, videte inquam devastationes, quas malesana systemata vestra in hominum cordibus procreavere! videte & perhorrescite eorum sequelas! orphani! hic juxta Crucem ossa majorum, patrum vestrum cubant, erant ii Christiani, non sunt ii vobis erepti, opperiantur vos in beata regione, audite vocem eorum: estote boni

Christiani, mementote eorum, quæ pii majores narravere, quam felicia illi tempora vixerint, ah! novus genius tempore potitus est! o sancta Ecclesia! O Deus patrum nostrorum! miserere! libera generationem nostram!

Sanctitas hodierni diei passionis Christi corda nostra alloquitur: Videte & contemplantini Philosophorum libros cum toto, quantus quantus est, adparatu, eosque cum Evangelio Doctoris nostri conferte, quantuli sunt, collati cum eo! an fieri potest: ut tam excellens juxta & simplex liber humani fœtus ingenii sit? ut is, quid id reliquit, nihil præter hominem fuerit? an ex eo fanaticus honoris sitiens homo cognoscitur? quanta non elucet mansuetudo? quam admiranda patientia? quanta in moribus puritas, in docendo suavitas, in præcipiendo sublimitas! quam profunda in sermone sapientia? quanta mentis constantia, rectitudo in agendo, eruditio in respondendo, & quanta affectuum continentia moderatioque! ubi ille homo, ubi ille sapiens, qui ita alienus a gloria, ita præcul a lucro egit, passus, mortem oppetiit? Justus, quem Plato mente conceperat, qui omni flagitii contumelia affectus, omni tamen encomio virtutis dignus est, ubi est? putares a Platone hac imagine Christi adumbratam esse; sane hæc similitudo adeo in sensus cadit, ut a sanctis Ecclesiæ Patribus observata, & adnotata fuerit. Socrates absque contumelia, doloreque mortem oppetens, ad extremum usque perseverabat, fortiterque vitæ terminum posuit,

patientibus injurias, absque præmio pro his, qui in eam fidem collocant, leges ad solam physicam vim restrictæ, absque metu ob occultam violationem, absque onere responsionis pro occultis delictis, dignitas hominis dejecta, atque potentiori attributa. O bone Deus! quem in finem quæso hominem condidisses! —

Seculum octavum decimum! superbum lucis & tenebrarum temporis spatium; quod nomen philosophici ævi jactas, te ego ex æternitate evoco, consiste hodie ad Crucem Magistri, doctoris nostri, qui sapientes temporis tui redemptionis participes reddere voluerat, quam vero illi rejecerunt, aspernabantur, consiste quæso, in Ecclesia Christianorum, & exhibe res gestas Sapientum tuorum, moresque gentium pervertentem doctrinam; scilicet prætenderunt superstitionem eliminandi Consilium sibi fore, & doctrinam religionis evertere; spurium heroicum animum detracturos, & honorem ludibrio exposuere; præjudicatas opiniones exterminaturos, & sanctissima principia profligavere, pseudo sanctitatem luci exposituros, & virtutem laceravere. — temerariæ! O vesanæ mentes! videte, videte inquam devastationes, quas malesana systemata vestra in hominum cordibus procreavere! videte & perhorrescite eorum sequelas! orphani! hic juxta Crucem ossa majorum, patrum vestrum cubant, erant ii Christiani, non sunt ii vobis erepti, opperiantur vos in beata regione, audite vocem eorum: estote boni

Christiani, mementote eorum, quæ pii majores narravere, quam felicia illi tempora vixerint, ah! novus genius tempore potitus est! o sancta Ecclesia! O Deus patrum nostrorum! miserere! libera generationem nostram!

Sanctitas hodierni diei passionis Christi corda nostra alloquitur: Videte & contemplantini Philosophorum libros cum toto, quantus quantus est, adparatu, eosque cum Evangelio Doctoris nostri conferte, quantuli sunt, collaticum eo! an fieri potest: ut tam excellens juxta & simplex liber humani fœtus ingenii sit? ut is, quid id reliquit, nihil præter hominem fuerit? an ex eo fanaticus honoris sitiens homo cognoscitur? quanta non elucet mansuetudo? quam admiranda patientia? quanta in moribus puritas, in docendo svavitas, in præcipiendo sublimitas! quam profunda in sermone sapientia? quanta mentis constantia, rectitudo in agendo, eruditio in respondendo, & quanta affectuum continentia moderatioque! ubi ille homo, ubi ille sapiens, qui ita alienus a gloria, ita præcul a lucro egit, passus, mortem oppetiit? Justus, quem Plato mente conceperat, qui omni flagitii contumelia affectus, omni tamen encomio virtutis dignus est, ubi est? putares a Platone hac imagine Christi adumbratam esse; sane hæc similitudo adeo in sensus cadit, ut a sanctis Ecclesiæ Patribus observata, & adnotata fuerit. Socrates absque contumelia, doloreque mortem oppetens, ad extremum usque perseverabat, fortiterque vitæ terminum posuit,

& si facilem hunc exitum non pertulisset, ejus nomen ad summum Sophistæ nomine posteris inclaruisset; fuit vero moralium veritatum doctor; alii ante enim moralem doctrinam factis exercuere, nihil proin docuit aliud, quam quod non antecessores jam egerunt. Justitiæ laude Inclitus Aristides ante erat, quam Socrates dedisset ejus notionem. Leonidas & Codrus pro patria occumbere non dubitarant, ante doctrinam Socratis, & Spartaë moderatio vitæ ante vigeat, quam Socrates eam ut virtutem proposuisset. Græcia longe prius probis civibus excelluit, quam Socrates luci editus esset.

Verum ubi Christus inter sublimem atque puram hanc moralem doctrinam, unde excelsum, quam prædicabat, exemploque roborabat, eruditionem haurire potuit? Mors, quam Socrates in medio amicorum, inter philosophandum, oppetiit, erat mortis genus mitissimum; Christi vero inter tormenta, & Cruciatu, acerbosque dolores, inter illusiones & convitia totius populi, in summa: in patibulo Crucis, quæ fuit mors ignominiosissima. Socrates fatale adprehendit poculum, egit gratias, & sumpsit. Christus dirissimos inter Cruciatu, orat pro suis Carnificibus, profecto: si vita & mors Socrati nomen sapientis impertivit, tum vita, & mors Christi aliquid divini contineat oportet. Quid, amabo, Socrates nobis de futura vita reliquit? Obscuras opiniones — at vero Christus detrahit velum dubietatibus, Cælos reseravit,

atque æternam adprehendimus felicitatem, mors esse definit, novamque mutatur in vitam.

Doctrina Christi omnis conditionis mentibus pervia est, omnibus temporibus accommodata, omnibus adjunctis congrua, semper ad salutem generis humani tendens. Cœlestis doctor non adhibuit dolum, non subtiles fraudes, non artes ullas, aut violentiam, ad ei ingressum in animos & corda conciliandum. Quod si præcepta religionis Christianæ, quæ depravatis hominum cordibus non omnimode grata accidere poterant, prout & rationem quæ ea primis temporibus propagata, animo expendamus, & sub gravissimis persecutionibus statum contemplerur, tum ex hac contemplatione certe concludi debet: Christi doctrinam divina sua vi agere — egisseque. An Christus non futura divinavit, quæ eorum nemo mortalium prævidere, præscire, prædicere ullo potuit modo? hoc ille ad minima usque adjuncta præstitit, quæ adcurate eò, quo dixit, modo, tempore, ratione evenerunt — prophetiæ de ejus passione, de modo mortis, & resurrectionis suæ, ita & fata discipulorum suorum; sermo hic mihi est cum Christianis, alii enim contendunt: has prædictiones non nisi post ejus mortem, consequenter post factum descriptas esse — at prophetiæ de excidio Jerosolymarum, cujus eorum nec minimum indicium erat, & de vicissitudinibus Judaici populi, quæ hodie dum oculis nostris subjiciuntur, hæc vaticinia a tribus Evangelistis adnotata sunt, eo temporis

articulo, quo urbs adhuc florebat, & quo dira, quæ iis prænunciatur, eversio, ejusque sub quibus annunciat, adjuncta, nec quidem opinione menteque concipi potuere.

Quapropter: sinite Christiani! hodie coram Cruce experientiam nostram antestari, conscientia propria testis sit: an legitimo Christianæ religionis usu non salutare in nobis ipsis effectus perceperimus? an non adverterimus ea contentas non modo veras, sed & hos effectus divinæ originis esse? an non ex integro mutationem in cogitandi ratione, in propensionibus & actionibus, tam in aversando malo, quam in desiderio, & viribus adpetendi boni, & in plena tranquillitate contra morsus conscientiæ etiam sub difficillimis adjunctis in nobis excitavit? an hic plenus tranquillitatis & quietis effectus, atque intestinus animi motus ex sublimi, a Deo non est? — Ita sane, hunc tibi Cœlestis Doctor! in acceptis ferimus! profecto divina hæc emendatio, hæc mentis elevatio est; tu dicebas: — doctrina non mea, sed illius, qui me misit est; si quis voluerit ejus voluntatem facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex me ipso loquar.